Anni Iuliani.	Præsides Iudææ.	Pontifices Iudæorum.	Anni Sedis S. Petri Romæ.	Epactæ & Literæ Martyrologij.
103			15 16	XVIII. t
104			16 17	XXIX. H
105			17 18	X. K
106	Albinus.	Anan°. Iesus Damnæi.	18 19	XXI. B
107			19 20	II. b
108	Florus.	Iesus Gamalielis.	20 21	XIII. n
109	1	Matthias Theophili.	21 22	XXIV. E
110	2 Bellum Iudæorum.		22 23	V. c
111		Phanasi° rustic°.	23 24	XVI. r
112			24 25 1 Linus.	XXVII H.

Hic tanquam in speculo clarè … or, vt verissime Tabulis sit proditu … ticis; Iacobum fratrem Domini 7… paschate officij sui numerum perfecto tricenûm annorum pleromate explesse. De hoc συλληψιο Auctorum petatur ex Annot. XXI. Thesium §.1.

Bellum Iudaeorum Pax est Chronologorum. Cœpit enim anno 12. Neronis mense Maio 35. à morte Domini, 65. Dionysiano. Quo Pascha Iudaeorum in 8. incidit diem Aprilis infamem maximis illis prodigijs impendentiumque malorum præsagijs; quæ omnis ordinis historicorum industria, posterorum memoriæ commendauit. Quo anno 7. dies Septembris, in Sabbati incurrit feriam fædissima Ananiæ Pontificis cæde cauteriatam, aliorumque innumerabilium Iudaeorum cruentam strage. Adi Iosephum lib. 2. de bello cap. 28. 17. & 24. Hegesip. in Anacephaleosi & lib. 5. de excidio Hieros. cap. 44. S. Hieron. ad 9. cap. Danielis; vbi hunc appellat annum 35. à Passione Christi. S. verò Epiphanius in lib. de Mensuris vocat 65. Quæ multis κακόνια visa est, cum sit Catachresis commiscens annos passionis cum illis vulgaris æræ à Christi Natiuitate. Eundem Iosephus annum lib. 20. Antiq. cap. 3. & supra cap. 13. appellat 17. Agrippæ & Flori secundum; Numeratque sparsim quinque exinde paschata ante deletam a Tito Vrbem. Iusta supputatio.

Character anni mortis Principum Apostolorum nullo vnquam delebilis æuo ad cæteros viam rectam euntibus demonstrat. Lapis enim hic ad-

...clus Lunæ.	...olis.	...es.	Anni Vrbis.	Indictiones.	Veri anni CHRI-STI.	CONSVLES ROMANI.	Anni Diony. cum literis Iulij Cæs.	Anni à Passione Dominica.	Imperatores Romani.
12	21	3 4	820 821	11	72 73	C. Silius Italicus. M. Galer. Trachalus Turpilianus.	68 C B	37 38	14 Galba menses 6. dies 7 d. 5.
13	22	4 212 1	821 822	12	73 74	Ser Sulpit. Galba, alias Vinius. Tit. Vimini' Ruf.	69 A	38 39	Otto m. 3. d. 5. Vitel. m. 8. 1
14	23	1 2	822 822	13	74 75	Vespasianus Aug. Tit. Flau. Vespasianus.	70 G	39 40	Vespasianus. 1 2

iutorij est velut limes agro positus litem vt discernere possit, *quonam anno lapis præcisus de monte factus sit in caput Anguli. Ita verò lucidus est hic annus, vt elogium illi conueniat Vatis.* Splendor eius vt lux erit. *Abacuc.3. Vide Annot. XXI.Thesium, §. 2.& 3.*

Huic quoq; nomen est anno in omni mortalium memoria immortale quo incenso Templo, & Vrbe deleta Hierosolymorum sepulta est Synagoga; Anno à cruciatu Redemptoris 40. In ipso Iudæorum Paschate 14. Aprilis circumsessa est ab exercitu Titi Hierosolyma, expugnata autem die 8. Septembris in Sabbato. Cui rei fidem præstant indubitatam Iosephus testis oculatus & vernaculus Signator lib. 6. de bello cap. 4. iuncto lib. 7. cap. 16. & 17. Dio Cassius lib.66. Ibidem Theodosius & Xiphilinus, Hegesippus in Anacephaleosi & lib. 5. cap. 49. quibus subsignant Eusebius, Sulpicius, Glycas, Carolus Sigonius, & quem vnum pro multis nominare possumus diligentissimus scriptor Annalium. Per hoc Pascha & diem retributionis Sion, confitentur cæli iustitiam DEI & veritatem illius in Ecclesia sanctorum. *Siquidem Sol & Luna testes in cælo fideles, suo quisque Cyclo tanquam cælesti radio LXX. indicant annum Dionysianum, & CXV. Iulianum, neque effugio hic semetipsum circumuenienti faciunt locum. Quo etiam intelligitur quam verissimè ab eo sit dictum cui in oculis sita erant omnia antequam fierent, euentus temporum & seculorum.* Orate ne fuga vestra fiat Hyeme vel Sabbato. *Matthæi 24. vers. 20. Adi Annotamentum XXIII. Thesium.*

Anni Iuliani.	Anni Sedis Lini.	Epactæ & Literæ Martyrologij.
113	1 2	VIII. h
114	2 3	XIX. u
115	3 4	* p

Pascha Iudaeorum proxime antec... rens Neronis interitum, non erit consilium hic silentio praterire. Hoc enim voluentem diu in incesse non sinet, Neronem anno 68. Christi ipsi Carnificem extitisse. Nam pascha tunc Iudaeorum in 4. incurrit diem Aprilis, contestante id quoque Iosepho lib. 5. de bello cap. 3. & 6. Qua certissima nota Cedroque & are perenniore inscriptum habes Calo Cyclum Luna 12. atque adeo Solis 21. Annum Iulianum 113. & Dionysianum 68. Neque enim concentum Celi dormire quis faciet, vel temere est dictum ab Ecclesiastico cap. 43. v. 6. Luna in omnibus in tempore suo ostensio temporis & signum æui. A Luna signum diei festi.

Annus retributionis Sion & dies vltionis ac magna ira Dei vindex, sicut incorruptus est Iudex, & Index temporum, ita ad inscrutabilem iudiciorum Dei quadantenus penetrandam abyssum, viam patefacit, clauemque exhibet. Nam sicuti quadragesimo olim anno ab occiso Agno in Ægypto, Iudai in terram sunt promissionis introducti: Ita & nunc labente anno quadragesimo ab occiso Hierosolymis (qua vocatur spiritualiter Ægyptus) Agno Dei qui tollit peccata Mundi, ex eadem sunt promissionis terra exterminati. *Apoc.11.v.9.* *Et sicuti in paschate Christum occiderunt, ita & in paschate illos hostes obsederunt: vt quo die Dominum confixerat Cruci, gens impia internecioni daretur. Quadraginta dua mansiones per quas ad Palestinam deuenerant, totidem 42. denotant annos per quos à Baptismo Christi ad obsidium vsque Titi sub eodem numeri Sacramento Euangelica pradicationi restiterunt. Post quos perseuerantibus illis in malitia egressi sunt duo Vrsi de Syluis gentium Romanarum* *4.Reg.2.v.23.* *Vespasianus & Titus, & blasphemantes pueros ascendente vero Eliseo in domum Dei voce consona interfecerunt atque lacerauerunt. Nec vacat mysterio, quod 42. apud Matthaeum enumerentur generationes, & tempus Antichristi 42. mensibus circumscribatur, Apocal. 11. v. 2. & Daniel. 7. v. 25.*

2. *Iure autem Vespasianus & Titus, Pater & Filius vno triumphali vsi sunt curru; quia & ab his qui Patrem & Filium iniurijs lacessierant, gloriosissimam reportârunt victoriam. Ianum item Geminum obseratis cohiberi claustris, sexto demum ipsi post Vrbem conditam censuerunt: vt qui dominicæ fuerat attributus Natiuitati, idem impenderetur honos vltioni dominicæ passionis. Adi Hieronymum Epistola 150. quæst. 8. S. August in. lib. 12. contra Faustum cap. 35. & Paulum Oros. lib. 7. hist. cap. 9. nec non annotat. Thesium 23. Longum esset ex sacris ostendere voluminibus hunc quadragenarium, siue annorum, siue dierum numerum, ob sui perfectionem ac mysterium sæpe sæpius fuisse à Deo obseruatum. Hoc diffidentes calculo longius deflexisse comperies adhibita enneadecaeteride, veluti quadam lingua calorum: vt dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum iustitia eius; & iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

3. *Nec temeritas erit dicere vtrumque illum annorũ numerũ, quo Tabula nostra exhibet deletam Vrbem ac Templum anno vulgaris Christi æræ 70. ab incarnatione verò dominica 75. tam bellè alterum alteri cohærere; quam quod Genes. 46. v. 27. legitur,* Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuère septuaginta, *cum illo quadrat quod Actorum 7. v. 14. Stephanus plenus gratia & fortitudine asseruit fuisse animas 75. Ex quo nobis velut per rimulam tenue pellucet lumen, eius quam S. Augustinus libro quæstionum in Genesin cap. 152. prodidit veritatis;* In sacris literis numeros esse sacratissimos & recondita indicare mysteria. *Emergit quoque ex his quare hieroglyphico olim symbolo Abraham egressus sit de cognatione sua 75. gerens annos vitæ. Genes. 12. v. 1. & 4 Siquidē vt olim teste Clemente Alex. lib. 5. stromat. Ægyptij in sacris Sphingas posuère, ita diuinæ literæ hoc ænigmate Christum præsignabant, anno ab Incarnatione 75. egressurum de cognatione sua dimissaque gente sua ac Synagoga, deletoque in sempiternum Templo ad gentes demigraturum.* Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo IESV, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. *Quemadmodum confirmat Apostolus ad Galat. 3.*

BRE-

BREVICOLÆ IN TABVLAM NOTÆ.

ANNOTATIO PRIMA.

Quod in Catone laudauit antiquitas, ita illum iamtum puerum fidem habuisse Praeceptori, vt tamen identidem causam singulorum deposceret dictorum, renouandum hic mihi arbitrabar exemplum. Nempe hoc assidue; ne cuiquam ego scriptori sine idoneo veritatis indicio vel fidem accommodarem, vel illam sine satisdatione à meo vicissim exigerem Lectore. Sed quoniam hic omnia ad compendium sunt comparata, & lex illa iustum flagitaret opus; aliud praeterea nihil annotabo, quam quod ad annum, mensem ac diem ortus & mortis Saluatoris apprimè necessarium iudicaui. Æmulor enim Dei æmulatione, diem illum, mensem ac annum. Igitur C. Iulius Cæsar Pontifex Max. suo III. & M. Æmilij Lepidi Consulatu trium mensium intercalarium adiectione annum quindecim mensium qui dictus est confusionis constituit. Pro quadrante autem diei qui annum verum suppleturus videbatur instituit, vt peracto Quadriennij circuitu dies vnus post terminalia intercalaretur: quod nunc bissextum vocatur. Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur ijque consurgunt ex quarto Cæsaris Consulatu. *Ita Censorinus cap. 8 de die Natali. Eadem Solinus cap. 3. & Macrobius lib 1. Saturnal. cap. 14. vbi verba hæc adiungit valde sensu meo notabilia.* Cæsar exordium nouæ ordinationis initurus dies omnes, qui adhuc confusionem facere poterant consumpsit. *His assentiuntur Plinius lib. 18. nat. Hist. cap. 25. Dio Cassius lib. 43. Plutarchus & Suetonius in Iulio Cæsare cap. 40. & hic rursus in Octauiano cap. 31. Marcellinus, Beda, cæteri.*

ANNOTATIO II.

Anno sexto Iuliano Herodes Romæ à Senatu ope M. Antonij Triumuiri præcipuè & Cæsaris Augusti Rex Iudææ creatus est Caluino II. & C. Asinio Pollione Coss. labente tum adhuc Olympiade 184. anno nempe eius extremo. Auctor Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 26. & lib. 16. cap. 9. & lib. 17. cap. 10. 1. de bello cap. 16. & 21. Gorionides lib. 5.

cap. 9. 12. & 41. Hegesippus lib. 1. cap. 45. Dio Cassius lib. 55. qui accusationem Archelai quæ contigit nono anno post excessum Herodis, consignat anno 51. Iuliano, Appianus Alexandrinus lib. 5. bellorum ciuilium, Seuerus Sulpitius lib. 2. & Eusebius lib. 1. Hist. cap. 5. quos cætera assectatur turba scriptorum. Illud verò non tacendum; decretum quo ex Senatus consulto regnum hoc anno Herodes Romæ accepit ad sempiternam posterorum memoriam in æreas Capitolij Tabulas fuisse relatum. Testes edo Iosephum 14. Antiqu. cap. 26. & lib. 1. de bello cap. 11. & Iosippum lib. 5. cap. 9. 11. & 43. Quibus in locis diem pariter accepti hoc anno ab Herode regni æternitati memorant consecratum. Quæ res si paulò inspiciatur penitius, non paucos habet diuinæ prouidentiæ, laudationis, & admirationis gradus: quos verbulo & apice tantum variato, Maronis claudo carmine. Teque adeo decus hoc regni, te Consule iniuit Pollio.

ANNOTATIO III.

Annus octauus Iulianus Claudio & Norbano Coss. duplici velut sydere collustratur. Æra inprimis Augusti, quæ hoc primam capit anno vnitatem; quod ita se habere vel ex eo luces manifestè; quod Æra hæc Augusti 38. solidis annis omnium sano iudicio scriptorum Æram Christi præcurrat Dionysianam: cuius annus primus cum 46. comparatur Iuliano. Altera insignitur nota hic Annus. Illo siquidem oppugnari ab Herode capit Hierosolyma duce Sosio, qui Orienti pro Romanis præerat. Anno post, qui nonus erat Iulianus idemque Sabbaticus M. Agrippa & Caninio Gallo Coss. expugnata demum est Hierosolyma die Sabbati in solenni Iudæorum ieiunio, in quo & olim vicenos ante & septenos annos vsurpata fuerat manu Pompei M. T. Cicerone, & C. Antonio Coss. Auctor Iosephus libr. 14. Antiq. cap. 28. à quo facit, & Dio lib. 49. qui tamen expugnationem more historicorum coniungit cum oppugnatione: quam Iosephus lib. 1. de bello cap. 13. & lib. 6. cap. 11. per totos quinque menses sextumque inchoatum durasse adfirmat. Eodem hoc anno Antigonum vltimum ex Asamoneis Regem M. Antonius securi percussit Antiochiæ, postulante id Herode. Iosephus lib. 14. Antiq. cap. vlt. & lib. 15. cap. 1. & lib. 1. de bel. cap. 13. & Dio lib. 49. qui Antigonum cruci alligatum, & flagris cæsum ac deinde iugulatum memorat. Quod verò Iosephus 27. supputat huc vsque annos ab vsurpata per Pompeium Iudæa; id per Synechdochen cape,

rape, & deductis in summam extremis. Alias vno plus anno dixisset. Euenit clades hac Hierosolymitana anno 4. 185. Olymp. Agrippa & Caninio Coss. vti probè annotatum à Iosepho, qui modò ab hoc, modò ab illo quo Roma infulis Regni decoratus est anno, Herodis semper Principatum, nec aliter alias exorditur. Ex quo laua detegitur mens Gorionidis lib. 5 cap. 12. qui ijsdem ille quidem Consulibus rem gestam adsignat, sed illis perperam annum 181. Olimpiadis circundat. Nec forceps ignara fefellit, sed ars Vulcanum: ne putetur librarij hic esse error, vel interpretis sed Auctoris.

ANNOTATIO IIII.

Anno 15. Iuliano Augustus III. Consul pugnam Actiacam feliciter depugnauit 4. nonas Septemb. seu 2. die mensis. Dio libro 51. Iosephus lib. 1. de bello cap. 14. & lib. 15. Antiq cap. 6. & 7. qui & fuisse hunc ait septimum Regni Herodis annum: exaudi a captis Hierosolymis nec non 187. Olympiadis: annum nempe 2. Quæ & cæterorum est omnium qui hac cum cura & diligentia pertractarunt concors affirmatio.

2. *Anno 16. Iuliano Augustus IIII. Consul Alexandriam & Ægyptum debellauit, extinctisque Antonio & Cleopatra in se vnum transtulit Monarchiam. Dio & Iosephus locis ante dictis, nec non Horatius Oda 14. lib. 4. qui id exsignat euenisse* fortuna lustro prospera tertio, *hoc est Anno 15. Principatus Augusti post necem Cæsaris. His addicit Ptolemæus lib. 3. Almagesti cap. 8. idemque affluenter iterat alibi, nec non Anonymus sed rarus insignisque Chronologus apud Clementem Alexandrinum libro 1. stromat. vbi à morte Alexandri Magni ad regnum vsque Augusti post necem Cleopatræ, & Antonij 294. enumerant annos; a regno autem Nabonassaris 718. Quam probè subductam exosculor aram. Ex qua discis annum XVI. Iulianum partem 718. & 719. anni Nabonassaris occupare; atque adeò 283. annum Iulianum, quo Vlpio & Proculo Coss. opusculum suum Censorinus conscripsit cum 984. & 985. Nabonassaris anno pariare. Quare vindicandus à Librarij nota traiectione literæ, quam ad calcem 25. annotamenti Thesium reposuimus loco: vbi Chalcographus voculam* Nabonassaris *absorpsit. Eodem hoc ipso anno XVI. Iuliano pauxillum quam in se Antonius & Cleopatra necem consciscerent, Herodi Augustus regnum firmauit. Cæsari quippe Pelusium transmittenti,*

obui-

obuiam factus Rhodi; & arida loca prospexit, ne aquarum copia exercitui deesset Augusti. Nec multò post nunciatum Herodi, extinctis Cleopatra & Antonio, Cæsarem Ægypto potiri, cui rursus obuiam processit. Quæ isto contigisse anno testes ac signatores do Iosephum libr. 1. de bello cap.15. & lib.15. Antiq.cap.10. & 11. Hegesip.lib.1.cap.34 Dionem lib 51. Paulum Orosium lib.6.cap.19. ipsumque Plutarchum in Antonio.

ANNOTATIO V.

C. Cæsar Octauianus anno 19. Iuliano VII. Consul sententia Munacij Planci Augustus dictus est ex ante XVI. Calend. Febr. à Senatu item cæterisque ciuibus Augustus consalutatus. Auctor Censorinus de natali Vrbis, qui & annos Augustæos ab hoc 19. Iuliano edocet numerari. Censorino æquè omnes adstipulantur, nisi quod de mensis die paulum ab eo videantur dissidere Lapis Narbonensis, Ouidius, & alij quidam. Tolles quod est dissidium distinctione hac sequestra, quâ & nos in simili videbis vsos Annot.XII.Thesium, §.1. Omnes enim quadantenus verum dicere comperies.

ANNOTATIO VI.

Anno 23. Iuliano 5. Kalend. Iulij seu die 27. Iunij Tribunicia potestas suscepta demum est ab Augusto: quam 36. integros annos, & plus pauxillo gessit ad obitum vsque suum. Auctor Velleius libro 2. Dio lib. 53. & Tacitus 1. Annalium. Vnusquisque autem Tribuniciæ potestatis Augusti annus partem duorum occupat annorum Iulianorum quando a 5. Kalend. Iulij computus ducitur. Alioqui à Kalend. Ianuarij insequentis anni numeratur in fastis Capitolinis, Tribunicia potestatis Augusti Æra. Quomodo & ibidem à Kalendis proximè insequentibus percensentur anni Tribuniciæ potestatis Tiberij. Quare posterior numeri nota, ad superiorem partem laterculi Augustæi expressa in nostris Tabulis, summæ quadrat Capitolinæ. Quod autem Tacitus Augustum ait continuata per septem & triginta annos Tribunicia potestate vita abijsse, hoc per Synechdochen accipiendum: ad aliam rationem fallente calculo.

ANNOTATIO VII.

Anno 26. Iuliano postquam in Samo hybernasset Augustus vere

vere nono in Asiam est profectus. Auctores Dio lib. 54. Strabo lib. 5. Velleius lib. 2. Zonaras nec non Josephus 15. Antiq. cap. 13. & libr. 1. de bello cap. 15. Ubi hunc Augusti in Syriam aduentum duabus pulcherrimis insigniuit notis. Appellat enim hunc annum decimum, ex quo Augustus subacta olim Ægypto ex Syria excesserat finibus anno 16. Iuliano. Eundem appellat regni Herodis decimum septimum: quod ego contra quam alij interpretor, post casum Antigonum, expugnatamque anno 9. Iuliano Hierosolymam. Hoc enim historia approbat.

2. Anno altero qui 27. fuit Iulianus idemque Iosepho decimus octauus regni Herodis post captam Hierosolymam primus verò ab Augusti in Syriam reditu, Herodes cupidine famæ & gloriæ stimulatus iactantiaque ad posteros, Dei construere denuo Ædem cæpit. Et Templum quidem exterius totidem, quot illud olim Salomonis absolutum est annis octo: inaccessa dein adyta & intacta à quibus prophanos procul arcebat lex, sacerdotum opera Herodes anno & Semisse perfecit. Quo facto Templi primum Encænia ingenti magnificentia ac festiuitate concelebrauit: tantoque maiore, quantò in hanc absoluta fabrica inciderat celebritatem, dies præterea natalis regni qui Anniuersaria hilaritate Herodi sacer erat ac religiosus. Quæ omnia enarratore disces Iosepho 15. Antiq. cap. 14. Hoc ipso primum anno Encænia Templi Hierosolymitani concelebrata signarunt Carolus Sigonius in notis ad Sulpitium, Paulus Constantinus Phrygio in Chronico, Ibidem Gerardus Mercator, & Ioannes Funccius tametsi scriptor Hæreticus, non indiligens tamen Chronologus. Ex quibus tam dilucidis huius anni notis vel corrigendum, vel (quod reor magis) commode interpretandum venit quod eidem proditum Iosepho lib. 1. de bello cap. 16. Herodem XV. anno regni sui cæpisse Templum extruere. Quo de aliàs opportuniùs. Tantum hic non defunctoria opus est aduersione: quàm exactè hæc temporum notatio cum asserto congruat calculo Iudæorum Ioan. 2. Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc. *Siquidem teste Iosepho lib. 20. Antiq. cap. 8. ad Neronis vsque tempora perseuerauit Templi, alias iam pridem dedicati, constructio. Tale quippiam & in secundo factum Templo posteaquam dedicatum erat à Nehemia, secundus liber Esdræ commonstrat. Est autem rara huius anni mixtura: nam si Senos hinc & quadragenos annos in articulos mittas, 73. prosiliet annus Iulianus, idemque primus prædicationis*

Christi, & 70. Danielis hebdomade, XV. verò Tiberianus, idemque trecentis sexaginta sex Tintinnabulis ingressum CHRISTI IESV *Pontificis summi denuncians.*

ANNOTATIO VIII.

Anno 37. Iuliano nomen & mortem Druso Germania fecit. Illum in Consulatu suo mortuum scribunt pariter omnes; Velleius lib. 2. Ouidius in carmine ad Liuiam, Epitome Liuiana 142. qua hoc anno expletur, Dio, cæteri. Idem hic annus Druso & Crispino Coss. propria inustus est nota in Obelisco Farnesiano apud Onufrium in fastis vbi inscribitur Annus nouus; *quia primus sit illorum duodecim quos Augustus sine intercalatione iussit decurrere. Is verò ex ante diem 24. Febr. huius anni incipit, idemque ad 24. Febr. anni 38. Iuliani protenditur. Hoc quippe anno excursis integrè 36. annis Iulianis, cum duntaxat nona debuisset fieri intercalatio, facta est in Terminalibus duodecima. Quo itaque tres dies præpropera sacerdotum festinatione intercalati deuorarentur, 12. anni absque intercalatione edicto Cæsaris transacti sunt. Ex quibus quia primus 37. incipit anno Iuliano, & terminatur 38. indiscriminatim nunc huic nunc illi adscribitur. Videtur autem noui anni ordinatio promulgata anno 38. Iuliano, adnotante id Suetonio in Octauio cap. 31.* In noui anni ordinatione sextilem mensem Augustum nuncupauit. *Addit diserte Censorinus id factum C. Marcio, Censorino, & C. Asinio Gallo, Coss. anno Augustio 20. hoc est ex quo Cæsar Augusti nomine anno 19. Iuliano fuit insignitus. Consentiunt his Dio lib. 55. Macrobius libro 1. Saturnal. cap. 14. Plinius lib. 18. cap. 25. Solinus, alij. De censu omnium celeberrimo quem Censorino & Gallo Coss. sine collega fecit Augustus, & quo postea descriptus est Christus, Consule XV. & XVI. Thesim: vbi & alia non pauca, quæ horum temporum Annalibus facem allucent.*

ANNOTATIO IX.

Diuina factum est prouidentia, vt omnimode incorrupti & vsquequaque integri Consulares fasti ad nostram promanarint memoriam; quos sub Augusto & Tiberio geri contigit: Ne in anno Christi natalitio & Dominicæ mortis indagando plus nimio defatigaremur. Nam quemadmodum Cæcias ventus nubes ad sese vocat, ita in latercu-

culis

culis Consulum suo motis vestigio error errorem parit. Una se tamen offert Antinomia in Consulibus 46. anni Iuliani. Quod par Consulum fœda fastorum rerumque ac temporum perturbatione prætergressi sunt Paulus Constantinus Phrygio, Antonius Concius, & Ioannes Funccius in suis fastis: hocque ideo vt in Dionysianam Christi Epocham inducentes adreperent. At verò Cassiodorus, Cuspinianus, Genebrardus, Alexander Sculteus, & qui libris Dionis Breuiarium adscripsit, loco Caij Cæsaris, Augustum XIV. Consulem substituere. Facit ad hanc opinionem Illustriss. scriptor Annalium in Appendice ad 10. Tomum. Alia gradiuntur via Carolus Sigonius, Onufrius, & nobilissimus Auctor Annalium in prioribus Tomorum editionibus: Qui Caium Cæsarem Augusti ex Iulia, & M. Agrippa Nepotem ac filium adoptiuum anno isto 46. Iuliano ordinarios censent gessisse fasces. His Suetonius addicit in Augusto cap. 26. vbi omnes ac singulos quam verissimè poterat percensens consulatus Augusti, non plures tredecim enumerat. Additque post septendecim annorum a Consulatu suo XI. interuallum XII. tandem & XIII. vltro petijsse, vt Caium & Lucium filios amplissimo præditus Magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum. *Hinc Tacitus lib. 1. Annalium dum iudicia enarrat vulgi, & quæ in Augusti funere miraculi fuère loco iactata, verba ista pluscula habet.* Multus hinc ipso de Augusto sermo plerisq; vana mirantibus. Numerus etiam Consulatuum celebrabatur, quo Valerium Coruinum, & C. Marium simul æquauerat. *Atquin palam est Valerium sextum, Marium septimum duntaxat Consulem fuisse. Hinc in Syluis Statius.*

Ter Latio deciesque tulit labentibus annis
Augustus fasces.

Quæ eadem in Tacito adnotauit illustris eius interpres Iustus Lipsius familiaris noster. Et dubitare prohibet Tacitus ita scribens. Caium ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat, nec dum posita puerili prætexta, Principes iuuentutis appellari, destinare Consules specie recusantis flagrantissimè cupiuerat. *Et verò etiam perfecisse, marmorea Romæ de Caio Tabula indicat.* Quem Populus Coss. creauit annos natum XIIII. *& Lapis Ancyranus.* Honoris mei causa Senatus Populusque Romanus annum quintum & decimum agentes Consules designauit, vt eum Magistratum inirent post quinquennium ex eo die quo deducti in forum. *Hic verò 46.*

Cornel. Tac. lib. 1. Anna.

annus Iulianus est ordine quintus post 41. Iulianum quo Caius posita iuuenili pretexta Togam assumpsit. L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, mors fato propera vel Nouerca Liuiæ dolus ante abstulit, quam præfixum eius Consulatui quinquennium immineret. Si mei arbitrij res sit, hæc sequor; ita tamen vt incolume suum stet cuique iudicium.

ANNOTATIO X.

Antequam extremam his addo manum, illud adhuc habeo monere, nihil per hoc sententiæ nostræ detrahi; quod diem Anniana cicatrice & innumerabilium cæde Iudæorum stigmosum non appellet Iosephus septimum Septembris, nec illum quo Titus expugnauit Hierosol. nam octauum Septembris, sed Gorpiæi mensis. Quare ne hoc culpa quis dicat esse nostra, quod non nemo dixit; quasi Iosephi interpres nos fefellerit, nosse conuenit nomine tenus differre mensem Gorpiæum in historia belli, quam Iosephus Græce scripsit, & Septembrem apud Latinos. Idemque esto iudicium de mense Xanthico & Aprili, atque ita de cæteris cum Græcorum, tum Latinorum mensibus. Hoc ita esse attestabuntur mihi Hegesippus in Anacephaleosi, & lib. 5. de bello cap. 44. & 49. & Eusebius lib. 3. historiæ cap. 5. & 8. qui pro eodem habent 14. diem mensis Xanthici & Aprilis, octauam diem Septembris & Gorpiæi. Cui reliquus chorus scriptorum iure concinit, nominatim clarissimus Auctor Annalium, Marcellus Francolinus, Alfonsus Salmeron, & Iosephus Scaliger passim. Nec alia de causa Romanus Clemens lib. 5. Apostol. Constit. cap. 18. Æquinoctium Vernum ad 22. Dystri diem defigit, & Beda de ratione Temporum cap. 12. & 33. & in opusculo de Æquinoctio Verno ex Anatolio Laodicææ Episcopo Initium decennouennalis Circuli statuit diem 22. Martij, 22. Dystri, & 26. Phamenoth. Quæ eadem vide in Eusebio lib. 7. hist. cap. 28. qui & lib. 8. cap. 13. diem 24. Dystri appellat diem 24. Martij, & cap. 14. & 17. secundum diem Xanthici mensis inscribit secundum diem Aprilis. Et lib 3. cap. 10. conformiter ad Iosephum lib. 7. de bello cap. 12. diem 21. Artemisij ait esse 21. Maij. Adhæc Actione secunda Concilij Chalcedonensis, Concilium Nicenum signatur initum Paulino & Iuliano Coss. 13. Calend. Iulij, mensis secundum Græcos Desij die 19. Propter quod etiam Beda cap. illo 12. de ratione Temporum Iunium ait eundem esse cum mense Græcorum, qui vocatur δέσιος. *Quod idem habet Suidas:*

das: nec de hoc tantum mense, sed & de reliquis æque omnibus ac singulis idem vterque asseuerat. Unde & de Augusto loquens Suidas. Augustus *inquit* Macedonibus est Loos: *quod & confirmat Beda cap. illo 12. ante dicto, vbi Canones subscrit Apostolorum, in quibus 12. dies mensis Hyperberetai, quartus esse memoratur Iduum Octobris. Sanctus præterea Epiphanius hæresi 51. octauum diem mensis Dij Græcorum, affirmat Romanis esse ante VI. Idus Nouemb. seu diem 8. Nouemb. & rursus Eusebius lib. 8. historiæ cap. 16. diem 20. Dij indigitat 20. Nouembris. Id generis alia exempla extant multa, ob quæ nemo mihi persuaserit Iosephum in historia Belli, menses Macedonum cum mensibus Hebræorum eosdem statuisse, & diem 14. Nisan eundem semper illi esse cum 14. Xanthici. Vereor enim ne si hoc assero, mox Lunam in me detraham. Siquidem Iosephus locis in Tabula notatis, [illegible]o quo flagrare cæpit in Iudæa Bellum, Pascha fuisse ait 8. die Xanthici mensis; Anno itidem quo vita concessit Nero, die 4. Quo denique exarsit Templum 14. Atqui nemo nescit Ius diuinum quo Pascha suum Iudæi celebrare semper sunt iussi 14. Luna mensis Nisan ad vesperam. Qui ergo in ista mensium ac dierum confusione ex hisce nos tendiculis expediremus? Vereor & id quoque ne si hæc pluribus disputem, ad solem faculas admonisse iudicer, quod ijs tantum conceditur, qui de potestate exiuere. Nec quicquam illa dissidentes iuuat animaduersio quâ dicunt ex certissima Ptolemæi contestatione annum 98. Christi Dionysianum in mense Ianuario, cum anno primo competere Traiani. Nam sicuti id verissimum est, ita nec cum alio quadrat calculo, quam cum trito illo & inter mathematicos vulgato: quo æra Dionysiana totis 45. annis posterior statuitur æra Iuliana. In quo nihil equidem muto, ne mihi ilico inter manus nascatur ἰλιὰς κακῶν. Ne porro diem acceptæ cladis aliqua posteritatis inobscuraret obliuio, eius memoriam suis Iudæi lachrymis æternârunt. Hos enim scribit Hieronymus ad 1. ca. Sophoniæ reuertente quotannis die, persoluto ante precio ad ea adire loca solitos atque inibi lachrymis & lamentis* diem illum calamitatis & miseriæ, diem tenebrarum & caliginis, diem nebulæ & turbinis, diem Tubæ & clangoris deplorare. *Quare nulla dies vnquam memori illum eximet æuo.*

***

REVERENDO AC DOCTISSIMO DOMINO LAVRENTIO SVSLYGÆ POLONO, SS. THEOL. CANDIDATO.

D. D. C. Q.

THreicius mouit montes, syluasque, ferasque:
Versibus, arte, lyra, mouit & Euridicen.
REGES, ARCHIDVCES, DOCTORES, SVSLYGÆ *mouit,*
Ecquis vtroque, ecquis fortior alterutro?

M.Ioan. Crœſelius Vilſ. SS. Theol.Licent.
Sereniſſimi FERDINANDI Archiducis
Bibliothecarius, & Sacellanus.

ALIVD.

I Liber, i totum quò te via ducet in orbem,
Cur trepidas? noli tu trepidare metu.
Anne times ſerici fias ne fortè cucullus?
Pro te ipſum ſericum fortè cucullus erit.

M. F. Georgius Falbius, Theologus, Benedictinus Garſtenſis, Conuictor.

ALIVD.

TEmpus edax rerum, conſumptis omnibus, vnum
Hoc ne conſumas ingenium, hoc nec opus.
Quæ niſi ſeruabis, tu non ſeruaberis, omnis
Hic tua res agitur: tempora namque docet.

Carolus Gaginus, Theologus,
Conuictor.

ALIVD.

COmbussit templum Dictynnæ Erostratus, ... illis
Vt foret æternum nomen, & obtinuit.
Ornasti templum Christi tu SVSLYCA libro,
Munere pro tanto munera quanta dabit!

Joannes Zdenco Rzuzansky Kawka de Rziczan, Lib. Baro, Conuictor.

ALIVD.

L*Audandus liber est quem laudat Zoilus omnis*
Hunc laudat : laude est dignus hic ergo liber.

Iulius Neidhardus, Liber Baro ... berg & Beffort, Dominus in Arnfels.

ALIVD.

VNus Alexander quondam genitore Philippo,
Vnus Apellæâ pictus ab arte fuit:
Nam quas in vero nato natura Philippi,
Has ars in picto finxit Apellis opes.
Certè, dum hic celebris lustratur mente libellus:
Alter Apellæâ cernitur arte typus;
Iste docet nostrâ velatum carne Tonantem,
Eius in hâc vitam detegit atque necem;
Dogmata concinnum referunt diuina decorem,
Veridicoque nitent lumine iudicij.
Quidni vnum dicam prodijsse è Virgine Christum;
Vnum ex iudicij prosperitate tui?

Wolffgangus Jöchlinger, Nobilis Gracensis.

Menda ita Lector emenda.

Pagina 8. Annotat. 4. Thesium numerus 80. elapsus est pro 58. Ibidem Thesi 8. Voluminus pro Volumnius. Pag. 40. Annot. 21. Annus 49. Iulianus per metathesin ponitur pro 94. Pag. 64. referenda pro referendũ. Alia minutula etiamsi nullus moneo, nihil negotij est animaduertere.

FINIS.